



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Ivdiis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

14. Filius in matrem injurius, suæ pœnæ miseriam narrat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45701

orbe Romano. Ex his etiam ad nos venerunt duo, frater & soror, Paulus & Palladia, multis alijs locis miseria diffamante iam cogniti. Hæc Augustinus, qui deinde prolixè describit luculentum miraculum, quo S. Stephanus illis sanitatem impertiuit. Quòd si mater ex impatientia liberis suis malè precans pœnam à Deo impetrat, quid ni id Paulus faceret ex zelo iustitiæ & Dei? Hinc enim cum Christum prædicantibus resisteret Elymas magus, quarens auertere Proconsulem à fide, Saulus, qui & Paulus, repletus Spiritu sancto intuens in eum dixit: ô plene omni dolo, & omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis iustitiæ, non desinis subvertere vias Domini rectas? Et nunc ecce manus Domini super te, & eris cæcus, non videns solem vsq; ad tempus. Et cecidit in eum caligo, & tenebra, & circumiens quærebat, qui ei manum daret. Dictum factum, statim punitus est Elymas, quia id exegit sceleris contagium. Aliàs quandoque differt Deus scelerum punitionem in aliam vitam; quandoque in longius huius vitæ tempus; vt spatium relinquat pœnitentiæ; fidem & timorem de futuris exerceat, amorem excitet, quia magis vult amore, quàm timore colitur, vel denique vt thesaurum iræ, patientia illius abutentibus, cumulet, vt post S. Paulum S. Augustinus & Gregorius docuerunt. Sed pergamus in historia à S. Augustino paulò priùs citato recitata.

Nam & filijs, & sibimetipsis malum accersiuisse illam matrem, copiosè narrat S. Augustinus, compendij causâ, satis est audire Paulum vnum è decem illis liberis loquentem, qui iussus à D. Augustino rem enarrare, in libello perscriptam S. Patri obtulit in hunc modum. Cùm adhuc in patria nostra Cappadocia Cæsarea moraremur, frater noster natus maior granibus, atq; intolerandis communem matrem affecit injurijs: in tantum, vt ei etiam manus non dubitaret inferre. Quod nos omnes filij pariter congregati patienter tulimus, vt ne verbum quidem fratri nostro pro matre nostra, cur hoc faceret, dixerimus. Illa autem faminei doloris stimulis incitata, injuriosum filium maledicendo punire constituit. Cùmq; ad sacri baptismatis fontem, post gallorum cantus, memorato filio suo iram DEI imprecatura, properaret: tunc ei nescio quis, in patris nostri similitudinem, vt intelligitur, demon occurrit, & ab ea prior, quò pergeret re-

Ii quisi-

Act. 13. 8.

Rom. 2. 5.
S. Aug. 1. cõti.
aduers. legis
c. 17. & serm.
220. de temp.
S. Greg. hom.
13. in Ezech.

XIV.

S. Augustini
lib. 22. de ci-
uit. cap. 8.
Extat libel-
lus iste inter
sermone S.
Augustini
nouos, quos
Louan. Vli-
merius edi-
dit.

250 Cap. XXIV. Iustitia morbos immittentis Dei, in nouo Testamento, quisuit. Cui illa ad maledicendum filio suo, ob intolerabilem contumeliam, se ire respondit. Tunc ille inimicus, quoniam in mulieris insaniens corde locum facile inuenire potuit, ut omnibus malediceret, persuasit. Illa autem vipereis inflammata consilijs sacrum fontem, prouoluta corripuit, & sparsis crinibus, nudatisq; uerberibus hoc a Deo potissimum postulauit, ut extorres patria, & circumuentes aliena terras, omne hominum genus nostro terreremus exemplo. Mox maternas preces efficax uindicta prosequitur: eundemq; continuo fratrem nostrum a tate & culpa maiorem, tremor membrorum tantum inuasit, quantum in me usq; ante hoc triduum, uestra sanctitas uidit. Seruato autem ordine, quo nati eramus, ante unum annum eadem nos poena omnes corripuit. Videns autem mater maledictiones suas ad tantam efficaciam peruenisse, impietatis sua conscientiam, & opprobrium hominum diutius ferre non potuit: sed laqueo guttur astringens luctuosam vitam termino funestiore conclusit. Egressi autem nos omnes, opprobrium nostrum non ferentes, & communem patriam relinquentes, passim sumus per diuersa dispersi. Tales poena, immo coruis dignos, & morbis lacerandos dudum praedixit Salomon: Oculum, qui subsannat patrem, & qui despicit partem (vel senectutem, ut legunt Septuaginta) matris sua, effodiant eum corni de torrentibus, & comedant eum filij aquila.

Prou. 30. 17.

XV.

Ioan. Nider. l. 3. Formicar. cap. 11.

Quid quod homines sibimetipsis pessima quaeque imprecantes, DEVM quodammodo cogunt, ut id permittat, quod optant? Vnum de mille dabo exemplū ex Ioanne Nider. Tempore, inquit, quo in Vniuersitate Colonienſi sacra Theologia studio ascriptus fui, quadam uirgo quindecim vel sexdecim annos habens, moribus secundum saeculum satis composita, in domo cuiusdam sua consanguinea nutriebatur, extra domum parentum. Cumq; cognata sua Scyphum satis vilem, terrenum quemdam à castro fregisset, cognata ira replebatur in lapsus negligentiam, & in ream uirginem. Quae uirgo tantò hoc molestius tulit, quanto uasculum uilius extitit. In iram igitur commota uirgo horà sumendi cibum, nec comedere, nec ad mensam, pra ira, se praesentare uoluit. Cuius cognata ait: Oportet, ut comedas. At uirgo apud se (ut mihi postmodum, & exorcista retulit suo) huiusmodi uerba submurmurando dicebat: Si me oportet edere, in nomine diaboli fiat. Sic mensam accedit, benedictionem mensae, quam bene sciebat, dicere